



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 43. Sacrae Congregationis consultatio circa duodecim Noaillii Cardinalis articulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.
A. C. 17. 6

dit Institutiones homiliticas & exegeticas, necnon Theologiam moralem. III. Joannes Meier Calvinista, qui vulgavit opusculum de sceptro Messiae, librum de origine & causis Festorum, de Templo Ezechielis &c. IV. Caspar Calvoer Lutheranus, qui posteris reliquit Rituale Ecclesiasticum, necnon schismata & controversias præcipuas, quæ Ecclesiam ab Ascensu Domini usque ad Sæculum XVII, agitarunt. V. Matthias Hiller, qui composuit tractatum de Arcano Keri & Kethib, necnon Institutiones linguæ sanctæ, Onomasticon Sacrum, Sciapragraphiam grammaticæ hebraicæ, lexicon latino-hebraicum præter plura alia.

§. XLIII.

Sacræ Congregationis consultatio circa duodecim Noailii Cardinalis articulos.

Interim Cardinales pro dijudicandis Noailii articulis designati frequentes habuere conventus. Varia erant eorum judicia; omnes tamen in eo convenere, *Breve Apostolicum, quo præfati articuli approbarentur, nec dandum, nec promittendum esse, solus Cardinalis Davia Noailio aliquantulum favere videbatur: Scotus tamen &*

Ori.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Origius Cardinales censebant, a Noail-
lio præprimis petendum, ut Constitu-
tionem *pure ac simpliciter* recepturum
se, publicis literis profiteretur. Id eo
certius a Noaillo sperandum ajebant,
quo luculentius subjectionis suæ speci-
men dederant apud Sequanam Epi-
scopi, qui in Provinciali sua Synodo,
quam Avenione die 25. Octob. habue-
re, declararunt, Constitutionem hanc
esse aggerem, ad sistendum erroris
progressum oppido necessarium. Cre-
debatur etiam Noaillius omnem obti-
nendæ approbationis spem abjecisse,
postquam ejus articulos Regio jussu
suppressos, laceratosque noverat. Ipius
quoque consiliis prorsus contraria erat
Bentivolii Cardinalis relatio in publico
Patrum confessu perlecta. Hic enim,
dum adhuc in Galliis agebat, Romam
perscripserat, Jansenistas, Quesnelistas
& Noailistas esse homines nullius fidei,
& nullius conscientiæ, quibus haud
magis, quam olim Priscillianistis fiden-
dum esset. Acrius vero horum arti-
culorum approbationi obsistebant, Ro-
haneus & Bissyus Cardinales, necnon
Andreas Hercules de Fleurij Episco-
pus Foro - Juliensis, quorum jussu ce-
teris Consultoribus communicatum erat
scriptum latino sermone conceptum,
quo solidissimis rationibus comproba-
tum

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

tum erat, hosce articulos æquivocis
verbis esse expositos, Constitutionis
explicationes ideo duntaxat efflagitari,
ut eadem tacite non sine gravi Clemen-
tis XI. defuncti injuria revocaretur, ex
ipsa denique articulorum approbatione
adeo pacem sperari non posse, ut nil
certius timendum foret, quam dissidia
magis acerba, novamque factionem. Ea-
propter hujus Congregationis Patres
die Februarii decidebant, rejiciendum
esse scriptum illud, quod Noaillius Car-
dinalis Romam misisset, e contrario au-
tem ab eodem Cardinale aliud & qui-
dem illud, quod Roma ad illum erat
transmissum, esse promulgandum, in
quo hæc legerentur verba: *Accepto sin-
cero animo Constitutionem Unigenitus pure
& simpliciter, & quicquid contra eam
scripsi vel feci, id totum damno ac retracto,
Conclusum insuper . . . ante publicatio-
nem mandamenti nec dandos nec promitten-
dos esse articulos, sed post publicationem
mandamenti ad mentem Sanctissimi sub ti-
tulo non explicationum, sed articulorum
esse dandos.*

§. XLIV.

*Hæc S. Congregationis decisio aliquan-
tum moderata.*

Hucus.